

ad angelos, faciamus hominem ad ima-  
ginem & similitudinem nostram, Item  
inquit, Hebraica phrasi dictum est, pluit  
Dominus ignem & sulphur super Sodo-  
mam & Gomorram à Domino, id est, à  
seipso. O præclarum commentum, prop-  
ter quod detrahemus intelligentiã scrip-  
turæ, & linguæ Hebraicæ cognitionem  
omnibus qui in Ecclesia fuerunt, & apo-  
stolos audiuerunt, docentes etiã Hebra-  
ice. Nam nihil dubium est, Ignatium  
Polycarpum, & alios Apostolorum dis-  
cipulos, intellexisse linguam Hebraicã,  
ut de Irenæo, Tertulliano, Clemente,  
Origene, Hieronymo, & plæriscq; alijs  
Hebraicæ linguæ peritis taceam.

XXXIII. Sed manifestum est, Ser-  
uetum uim facere uerbis, id quod inter-  
pretes ipsi testantur. Rogo, inquit Ig-  
natius, uos, in epistola ad Antiochenses,  
Apostolorum doctrinæ & legi atq; Pro-  
phetis credere, omniumq; Iudeorum aut  
Paganorum errorem abijcere, & neq;  
Deorum multitudinem admittere, neq;  
Christum ad excusationem unius Dei  
negare, Mose fideli famulo Dei ad po-  
pulum dicente: Dominus Deus tuus,  
Deus unus est. Et unum atq; solum præ-

A iij      dicant